



*P.e. 87*

*F. VII, 894*

*III fol. 3. II. 16*

106

i Disputatio IX.  
*EX FORMVLA CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ,*  
Continens Synopsin doctrinæ  
DE  
**A D I A P H O R I S.**

*Cujus Subiectas Positiones  
CHRISTO DVCE ET AVSPICE CHRISTO*  
*Sub Præsidio*

REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI,  
**Dn. LVCÆ BACMEISTERI, L. F.**  
S. S. Theolog. Doctoris, & in Acad. Rostochiensi Professoris pub.  
In Collegio disputationum Theologicarum privato  
examinandas proponit

**JOHANNES CROCHELIUS**  
Lubecensis.

*Ad diem 12. Februarij horis pome-  
ridianis.*

*Ad Thessal. 5. v. 19.*  
πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατίχετε.



**ROSTOCHII.**  
Ex Typographia Stephani Myliantri.  
Anno M. DC. VI.



## DISPUTATIO IX.

Ex Concordiæ Christianæ formula,  
DE ADIAPHORIS.

Instituta 12. Februar. Anno 1606. Resp. Iohanne Crochelio Lubec.

## Thesis I.

**N**ter reliqua doctrinae & religionis Christianæ capita, de quibus in Ecclesijs Augustanam Confessionem protestantibus dimicatum fuit, locum facile principem obtinet illud quod est de Adiaphoris sive Ceremonijs Ecclesiasticis: non quidem principaliter quoad ipsam definitionem rerum Adiaphorarum, sed potissimum quoad earum usum verum & genuinum: De quo usq; adeò atrox bellum in Ecclesijs Lutheranis excitatum fuit, ut nullis medijs ac remedijs annis bene multis illud sopiri potuerit.

II. Originem a. suam controversia hæc traxit, ex libro auctoritate Imperatoris à Julio Pflugio Episcopo Naumburgensi, Michaële Sydonio & Iohanne Agricola Islebio conscripto: quem amplectendie ordinibus Imperij Carolus V. Anno 1548. in Augustanis comitijs commendavit, eò usq; donec in concilio aliquo generali controversiae oborta plenius cognoscerentur. Unde cognomen & Titulum liber hic adeptus est, ut Interim postmodum diceretur.

III. Cum enim Electoratus Saxoniae Theologi, iugo huic servitutis se se submitterent, & de usu rerum Adiaphorarum sollicitè disputarent, tandemq; Missæ restorationem concederent: abstinentiam à carnibus quinto & sexto die Hebdomadis in jejunio quadragesimæ probarent: ac vetationem de esu carnium bene ferri posse statuerent; Festum quoq; corporis Christi, in quo panis consecratus theatrica quadam pompa circumgestatur, & idololatricè adoratur, inter festa solemniora referrent: quin imo festa Mariae Virginis, quorum nonnulla manifestè sunt Idololatrica, solemniter celebrari posse permitterent: & deniq; Olei usum in ordinationibus Episcoporum ratum haberent, ut testantur Acta Synodica anno 59. jussu illorum Theologorum edita.

K

4. Cum

**IV.** Cum inquam hunc in modum Theologi isti à puriore doctrina de usu rerum Adiaphorarum defleterent, ijsq; alij nonnulli masculine sese opponerent, tandem tragicum istud bellum, à præcipua questione dictum Adiaphoristicum, inter Theologos Aug. Confessionis ortum est, quod annis non paucis Ecclesiæ maximè Electorales graviter quassavit & conturbavit.

**V.** Atq; de hæ Controversia longè gravissima quid statuendum sit, articulo 10. Concordia Christiana ex verbo Dei ostendit: cuius ductum nos sequentes, primò statum controversiæ ponemus: secunda eum Jelūw; explicabimus: tandemq; antithesi brevi adjecta concludemus.

**Status Contro-  
versiæ.** **VI.** Statum quod attinet, is remotione eorum quæ extra controversiam fuerunt, manifestus evadit. Non enim quæsumus fuit de Adiaphoris in genere, An illis Ecclesia extra tempus Confessionis libere ad suum commodum & ædificationem uti & abstinere, inq; ijs quod fuerit visum immutare possit?

**VII.** Nec τὸ Λγῆσθεον fuit de ritibus manifestè imp̄ijs, pugnatis cum institutis divinis, quos nequaquam pro ritibus Adiaphorici habendos esse confitemur, verum ut blasphemias reiçimus.

**IX.** Sed hoc disputatum fuit: Num persecutionis tempore, in casu confessionis, aliquæ jam abrogatæ ceremoniæ, quæ per se indifferentes, & à Deo neg; mandata neg; prohibita sunt, postulantibus id & urgentibus adversarijs, iterum in usum revocari possint, & an hoc modo cum pontificijs in ejusmodi ceremonijs & adiaphorisi conformari rectè queamus?

**X.** Affirmativam questionis nonnulli magni alioquin & bene meriti Theologi olim tenuerunt, censentes consultius esse aliquarum Ceremoniarum mutationem suscipere, & simulatè fucosas conciliaciones cūm hostibus inire, quam Stoica, ut ajebant, pertinacia, vastitatem & solitudinem Ecclesijs & Rebus p. accersere. Vide Confutationes Thuringicas, editas Anno 1560. p. 66. b. & Schlusselburg. Catalog. heret. 13. p. 569.

**XI.** His v. contradicentes alij statuebant, persecutionis tempore quando

quando confessio fidei requiritur, adversarijs in usu rerum Adiaphorarū, salva & illæsa conscientia, & sine jactura Veritatis, nihil concedi posse. Quam sententiā ex limpidissimis Israëlīs fontibus Concordia quoq; Christiana exstruit, & nos hac vice breviter cōfirmabimo.

XI. Antequam v. ad Status confirmationem accedat Concordia, Thesis duas præmittit quæstiunculas, Quarum prima est: Quidnam propriè sint Adiaphora. 2. Naturam eorum explicat, An videlicet mutare ea liceat.

XII. Quod ad primam questionem attinet: Intelligimus per A-  
diaphora hoc loco ritus Ecclesiasticos, quos partim ordinis ac decori,  
partim v: edificationis gratia, legitimo modo, ex libertatis Christiane  
jure, Ecclesia instituit.

XIII. At de his inquit Concordia: Credimus, docemus & con-  
fitemur, quod Ceremoniae sive ritus Ecclesiastici, qui verbo Dei neg-  
præcepti sunt neq; prohibiti, sed tantum decori & ordinis causa in-  
stituti, non sint per se cultus diuinus, aut aliqua saltē pars cultus  
diuini. Quibus verbis non modo Quid non sed etjam Quid &  
Qualia sint vera Adiaphora ostendit.

XIV. Reiciuntur enim primò ex classe rerum Adiaphorarum,  
quæ in sacris vel sunt expressè præcepta, ut sunt prædicatio verbi,  
Baptismus, Cæna domini, Absolutio: vel implicitè aut explicitè pro-  
hibita: qualia sunt, quæ vel manifesta impietate laborant, vel cum  
articulis fidei pugnant, vel libertati Christianæ adversantur: quo re-  
ferimus plerasq; pontificiorum Ceremonias: ut sacrificium Missæ, In-  
vocationem sanctorum, Venerationem imaginum, statuarum & re-  
liquiarum, processiones cum Sacramento: Symbolorum item sacra-  
mentalium in diversas species mutationem, & quæ his sunt similia.

XV. Deinde inter Adiaphora non sunt numerandæ tales Cere-  
monia, quæ conscientiam vel nostram vel proximi quovis modo la-  
dere aut offendere queant: quarum tres species recenset Concordia.  
Prima earum est, quæ speciem quandam præferunt, aut quibus  
simulatur, quasi nostra religio à Pontificia non multum distaret, aut  
certè quasi ab ea non admodum animus noster abhorseret. Secunda

110

est earum, quæ in eum finem restaurantur, & quarum restauratio ita accipitur, quasi hoc ipso dissentientes duæ illæ religiones jam in unam coaliuerint. Tertia deniq; species earum rerum est, quæ suspicionem de nobis concitare possunt, quasi ad papatum rursus videamus accessisse, & à sincera Evangelij doctrina recessisse, vel paulatim recessuri.

XVI. Deniq; nec Adiaphoris accenseri possunt aut debet, quæ cultus aut necessitatis simplicis & absolutæ opinionē adjunctam habent.

XVII. Etsi enim ritus Ecclesiastici adminicula sunt cultus divini, quippe quibus invitantur homines ad auditum verbi divini, & sacramentorum usum, quibusq; ad invocationem & laudes Dei ardenter exuscitamus: non tamen ipsi sunt cultus per se, i. Quia nihil cultus loco habendum est, nisi quod expresso verbi divini mandato nititur, Matth. 15. v. 9. 2. Quia cultus Dei absolute est necessarius, & nequam mutari aut omitti potest. At ritus Adiaphorici nō sint absolute necessarij, sed mutabiles. Deniq; cultus Dei præluente fide perficitur Ioh. 4. 23. Adiaphora externè etiam absq; fide præstari possunt.

XIX. Sic etsi necessarij sunt quidam ritus in Ecclesia, ordinis, decori & edificationis gratia 1. Cor. 14. v. 26. & 40. non tamen tanquam ad salutem necessarij observandi sunt: id enim ubi fit, amittunt ritus naturam suam, & desinunt esse Adiaphora, ligantq; conscientias tanquam fidei dogmata.

XIX. Et ut simplex hac necessitas libertatis Christianæ usum tollit, imò servitutis jugo iterum subiicit eos, qui liberati sunt: ita illa cum libertatis ejusdem usu optimè consistere potest.

XX. His ita constitutis ex sensu contrario liquet, qualia esse debeant vera Adiaphora. Primo videlicet libera, hoc est neg, præcepta neg, prohibita, sed ex libertate Christiana in Ecclesiam introducta.

XXI. Secundo utilia, non quidem ad salutem (sic enim amplius adiaphora non essent, sed necessaria) sed partem ad ordinem & decorum in Ecclesia, partim ad edificationem 1. Cor. 14. v. 26. & 40.

XXII. Neg, enim Adiaphora plane otiosa & ludicra aut puerilia.

riilia spectacula sunt, sed cum alias Ecclesia utilitates adferunt, tunc vero potissimum ordini, decoro & edificationi inserviunt.

**XXIII.** Ac talia in nostris Ecclesijs sunt, quæ Partim in publicis Ecclesia congressibus exercentur, ut dierum festorum observatio; conventus publici in templis certis horis & diebus: certarum pericoparum diebus dominicis lectiones: organorum aliorumq; instrumentorum musicorum. & ipsius musices usus &c. Partim in administracione sacramentorum retinentur, ut in Sacramento baptismi, baptisteria; Trina immersio, vel infantis baptizandi aspersio; crucis signatio; abrenunciatio; Exorcismus; patrinorum fidejussio: yuuan Caplūs & alia: In Sacramento Cœna, Confessio privata; altaria; panis azymus vel fermentatus; fractio panis; Vasorum forma & materias; Color vini; cerei ardentes; Distributio privata qua sit agrotis; Vestitus sacer &c. Partim deniq; in privato cultus divini exercitio usurpantur, ut in ministerio ordinum & nominum diversitas; Vestitus distinguens docentes à discentibus in Ecclesia: Usus comæ: in supplicationib. publicis ejunias in oratione genuflexio: lingua Idioma; ad orientalem plagam conversio & similia alia.

**XXIV.** Sicut a. Ecclesia voluntate libera, & pro circumstantiarum ratione, instituere potest hujusmodi ceremonias ut Paulus ipse suo exemplo ostendit, 1. Cor. 11. v. 2. & supra memorati ritus pleriq; evincunt: quorum plerosq; Apostolos ipsos auctores habere Tertullianus de Corona militū c. 3. § 4. & Basilius de Spiritu S. c. 27. testatur.

**XXV.** Ita eandem veris Adiaphoris, quovis tempore & loco, liberè ad suum commodum, uti vel abstinere, inq; ijs quod visum fuerit immutare, & rebus ita postulantibus prorsus ea abrogare posse, nostra docet Concordia: Sic tamen ut omnis levitas fugiatur, & offendicula caveantur: imprimis v. ut infirmorum in fide ratio habeatur, ijsq; quantum fieri potest parcatur.

**XXVI.** Quam Concordia sententiam gravissimo suo suffragio Doctor ille gentiū Paulus Apostolus comprobat Gal. 5. v. 13. In libertatem, inquietus, vocati fuistis, tantum ne libertatem in occasionem deatis carni, sed per caritatem servite vobis invicem, Rom. 14. v. 1 Infir-

mum in fide suscipite & v. 12. ne ponatis offendiculum fratri. Et hoc pertinet gravissima Christi concio Matth. 8. v. 6. Qui offenderit unam ex minimis istis expediret ei ut mola Asinaria de collo ejus suspenderetur & ipse in profundum maris conigeretur.

**X XVII.** Ne tamen hac in causa vel in dextram vel in sinistram declinemus, sed media via incedamus, duo diversi Ecclesiae status considerandi sunt: vel enim Libera est Ecclesia, vel persecutionibus hostium veritatis obnoxia.

**X XIX.** Si Libera est. & jure suo ex omni parte plenissime utitur, in potestate ejus omnino est possum, consentientibus omnibus ejus ordinibus, vel ceremoniam quandam diu multumq; observatam, penitus antiquare, vel jam antiquatam in usum revocare, modo illud fiat cum hac cautione, ne infirmioribus in fide ponatur offendiculum.

**X X I X.** Quod si v. Ecclesia Tyrannide Hæretorum prematur, & quidem eorum hereticorum, qui sub abrogatione vel institutione ceremoniarum restorationem falsorum dogmatum, vel certe ius aliquod sibi ac dominium in Ecclesias reformatas querunt, hoc certè casu in mutationem aliquam minime omnium esse consentiendum, symbolica nostra Concordia his verbis docet.

**XXX.** Credimus docemus & confitemur, quod temporibus persecutionum, quando perspicua & constans confessio à nobis exigitur, hostibus Evangelij in rebus Adiaphoris non sit cedendum, neq; permittendum, ut adversarij nobis Adiaphora quedam ad detrimentum divini cultus, & ad plantandam & stabiendam Idololatriam, imponant & obrudant: sive id manifesta vi, sive dolis efficerentur.

**X X X I.** Assertionis hujus fundamenta hæc ponit. 1. Scripturæ testimonia Gal. 5. v. 1. Quia libertate Christus vos liberavit in ea state, & nolite iterum jugo servitutis subiici 2. Corinth. 6, v. 14. Nolite ducere jugum cum infidelibus, quæ enim participatio justitiae cum injustitia? quæ communicatio lucis cum tenebris? qui consensus Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infidiли? & v. 17. proinde exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus, & immundum ne tangite.

**X X X I I.** 2. Exemplum Pauli Apostoli, Hic enim pseido apostolis circummissionem tanquam necessariam urgentibus, ne ad horam quidem cedere voluit Gal. 2. v. 4. quantumvis illa jam tūm ex decreto Concilij Hierosolymitan. Act 15. res Adiaphora facta erat, & ipse eam alias (in libertate tamen Christiana) observare aliquoties solebat Actor. 16. v. 2. Et Memorabile est Danielis exemplum, qui ne quidem clavis fenestrarum preces suā facere in gratiam hostium volebat Dan. 6. v. 10.

3. R. A-

**XXXII.** 3. Rationes: quarum momenta præcipua hæc sunt. 1. Quia cessione h. ic idololatriæ in sua idolomania magis ac magis confirmantur. 2. Quia libertas Christianæ labefactatur. 3. Quia piæ mentes offenduntur. 4. Quia Evangelij veritas obfuscatur & concutitur. 5. Quia confessionis Christianæ veritatis radij obnubilantur, quos cum omnibus temporibus, tum maxime persecutionis tempore lucere est æquissimum, & summi necessarium iuxta illud Christi effatum Matth. 10, v. 23. Qui me confessus fuerit &c.

**XXXIV.** 4. Consensus Ecclesiarum Augustano symbolo addictarum: qui expressus est in artic: Smalcadicis & scriptis Lutheri: unde plura testimonia collegit Formula Concordiæ, quæ buc transponere non necessarium ducimus.

**XXXV.** Ex his omnibus hoc tanquam Consecrarium infert Concordia; licet quilibet Ecclesia particulares ritus pro sui loci, temporis & personarum ratione observet, & hæc pauciores, illa plures ceremonias retineat: tamen propter hanc ceremoniarum dissimilitudinem, non scindi unitatem Ecclesiæ, & propterea unam Ecclesiæ, alteram condemnare minime debere, si modo in doctrina & omnibus illius partibus atq; in legitimo usu sacramentorum concordes fuerint.

**XXXVI.** Vera enim & Catholica Ecclesiæ ac fidei Christianæ Unitas nunquam in externis ritibus aut ceremonijs sed in fide & Spiritu consistit, Ephes. 4. v. 3. Estote solliciti servare unitatem Spiritus.

**XXXVII.** Quamobrem & Augustana confessio Articulo septimo, satis esse, inquit, ad Veram Unitatem Ecclesiæ, consentire de doctrina Euangeli & administratione Sacramentorum.

**XXXIX.** Cumq; nullum possit dari tempus jam inde ab Apostolorum ætate, quo communis Ecclesiæ in ritibus intercesserit conformitas, sequeretur, nullam posse dari veram novi testamenti Ecclesiæ, si ex rituum conformitate veritas Ecclesiæ estimanda foret.

**XXXIX.** Deniq; nec possibilis est ista externalorum rituum consonantia, propter humani ingenij inconstantiam, judiciorum diversitatem, & deniq; propter quentes temporum & personarum vicissitudines.

**XL.** Approbamus ergo vetus illud Irenæi dictum; dissonantia jejuniū non dissolvit consonantiā fidei. Cui & Augustinus subscribit Epist. 118. Asiani inquiens Pascha celebrant cum Iudeis: Romani non item: nec tamen scindebatur concordia. Nec dissentit Hieronymus qui rationes allatas considerans, asserit: Vnam esse Ecclesiam veteris & novi testamenti, licet rituum utrinq; longe maxima disconcordia conspiciatur.

**XL1.** Veræ huic de Adiaphoris seu ritibus Ecclesiasticis doctrina, tres classes Antithetæ errantium opponit Formula Christi Concordiæ quas paucis tamè erumerabimus. sis.

Ac pri-

XLI I. Ac primum Romanensium errores potissimum tres, tanquam deposito sanæ doctrinæ contrariantes, taxantur. Horum primus est, Quod humanæ traditiones per se pro Dei cultu, aut certe pro illius aliqua parte sint habendæ. Thomas 2. parte secundæ quæst. 147. artis, Confessionis Augustinæ Confutatio pontificia, artic. 15. Bellarm. Tom. 1. Cont. 3. lib. 4. c. 16. & Tom. 2. Cont. 1. lib. 2. c. 31. editionis prioris, Costerus Ench. cap. de Iejun. & cib. del.

XLI II. Secundus, Quod humanas traditiones, per modum coactionis, tanquam simpliciter & absolute necessarias, Ecclesiæ Dei observandas obtrudunt. Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 14.

XLI IV. Tertius, Quod nostræ Ecclesiæ ob ceremoniarum dissimilitudinem damnant, & ex earum conformitate judicium de vera Ecclesia faciendum esse docent, quemadmodum de Victore Episcopo Romano refert Socrates Hist. Eccles. lib. 5. Cap. 22. quod Anathemate percusserit Ecclesiæ Asiaticæ, propterea quod eodem tempore cum Ecclesia Romana Pascha celebrare recusarent. Videatur Bellarm. Tom. 2. Cont. 1. lib. 4. cap. 31.

XLV. Secundo: duo Adiaphoristarum errores reiciuntur. 1. quod persecutionis tempore hostibus Euangelij in Adiaphoris restituendis gratificari, & cum ipsis in ea parte consentire liceat. 2. Quod persecutionis tempore, vel in Adiaphoris vel in doctrina vel in alijs rebus ad religionem pertinentibus, propter Euangeij hostes concedi aliquid possit, quod piæ confessioni repugnet: id quod tempore συγκέντων Interimisticæ factum esse, Acta Synodica VVitebergæ quondam edita testantur.

XLVI. Deniq; damnat etiam Concordia eorum intemperiem, qui externas ceremonias natura sua Adiaphoras ea opinione volunt abrogatas, quasi Ecclesiæ Dei non sit liberum, pro re nata, & Ecclesiæ utilitate ac ædificatione, hanc vel illam ceremoniam reïcere, & pro ratione libertatis Christi usurpare.

XLVII. Ad quam classem merito Calvinianos referimus, qui suas Ecclesiæ tum optimè reformatas sentiunt, si omnem ceremoniarum, rituumve indifferentium, vel baptismo, vel cœnæ, vel toti ratiōni inservientium usum, omnemq; propemodum templorum ornatum, etiam securi & bipenni, cum aliter non possunt, inde eliminent.

XLI IX. Quia vero horum dogmatum falsitates ex thesi superius explicata manifestæ sunt: & in ipso συγκέντων actu amplius à nobis explicabuntur, idcirco uberiorem refutationem sponte nunc omittimus, utentes interim libertate illa, in quam per Christum sumus asserti: cui cum patre & spiritu sancto sit laus honor & gloria, in infinita seculorum secula, Amen.





Ad singularem suum Dn. Joha-  
nem Crochelium, Resp.

**N**ulum de magnis unquam dissertio  
rebus  
P&nituit, lata hinc sed fuit usq;  
seges.


**N**um T'E p&niteat tempus trivisse putando  
Crocheli? tristes hinc **TIBI** sint pale&?

Hermannus Bresser  
Lubecensis.














Das vurnoarles egedior.











ap 29 natl. folio 20. Januar 10. 6. 43  
Inv. 18. v. 10.

AB42 15  
18, 10

ULB Halle  
002 729 741

3



s. b.

OPA



Retro. v



AB  
T 2/3

leben; ut rreduam uota mera der die  
il p[ro]fessionalis monit[us] meo  
diam et ueritate[m] eis q[ui]d[em] sic  
met in eternum illi consiperent de[n]i;  
in gaudiis suis uerba dantio[n]e  
m[od]estia uerba dantio[n]e

# Farbkarte #13

B.I.G.

|             |      |       |        |     |         |       |         |       |      |
|-------------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|------|
| Blue        | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black | Grey |
| 1           | 2    | 3     | 4      | 5   | 6       | 7     | 8       | 9     | 10   |
| Centimetres |      |       |        |     |         |       |         |       |      |
| 1           | 2    | 3     | 4      | 5   | 6       | 7     | 8       | 9     | 10   |
| Inches      |      |       |        |     |         |       |         |       |      |
| 1           | 2    | 3     | 4      | 5   | 6       | 7     | 8       | 9     | 10   |
| 11          | 12   | 13    | 14     | 15  | 16      | 17    | 18      | 19    | 20   |

# IX. RISTIANÆ DIÆ, doctrinæ

## O R I S.

*ositiones*  
PICE CHRISTO

*SSIMI VIRI,*  
*ISTERI, L. F.*  
*tochiensi Professoris pub-*  
*gicarum privato-*  
*nit*

CHELIUS

*boris pome-*

*katzen.*

I.  
Myliandri.

I.